



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Barnabas Ap. 11. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. BARNABAS AP. II. Junii.

HABUIT BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Iudaicâ Gamalielelem; in Christianâ ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquandiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudû in pedes erexit, urbs utrumque velut calo delapsa Numina excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Iovem venerata. Et profectio; etsi, ut par erat, divinum honorê longe illi repudiarunt, officio tamê tunc melioris Mercurii functi sunt, DEVMQ; civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Iudæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum, facile hominem non DEVM esse probarunt. BARNABAS etiam Salamina à Iudæis multis tormentis exercitus, saxi ultimò obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum calo Phœnicem vidisses prodire, integro etiã corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multo post, cum in sedem Antiochenam invasisset nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholicâ etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salamina Episcopo

scopo tertium visus monuit, uti communis cause patrocinium Constantinopoli apud Imp. suscipere, simul etiam indicavit, quo loco ossa sua, & una volumē, in quo D. Matthei Evangelium exaraverat (nobilissima cimelia) reperiret. Et verò utrumq; in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro inclusit, rectè gemmam esse ratus. *Ex act. Ap. Bar. & Lipp.*

S. ONVPHRIVS C. 12. Junii.

ONVPHRIUM toto hirsutum corpore, & rara humani cultus retinētem vestigia, poterat sanè silvarū monstris, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externā specie substitisset. At ubi congressus vitæ genus moresque didicit, dubitavit hominemne potius an Angelum diceret. In Thebanā regione monachum indutus, cum de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum vitæ comitem habuit. Nactus deinde novi instituti magistrum, in tugurium palmā inumbratum deductus est. Inde illi cibus, menstruo proventu; panem & aquam Angelus afferebat quotidianus minister. Octavo quoque die, ut delicatius vesceretur, is quoque, quem proprie Angelorum panem appellamus, majore pompā, & debitā Numini est advectus. Et potuit credo ONVPHRIVS